

Heinrich Müller

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Müller/ Doctor ac
Professor Theologus ... Ad Iusta funeralia Quae ... Annae Willebrandes/ Viri ... Dn.
Theodori von Oesede/ I.U.D. ... Viduae Exsolventur hodie Omnium Ordinum Cives
Academicos sedulo serio[ue] invitat : P.P. Sub Sigillo Rectoratus d. 30. Nov. An.
MDCLXV**

[Rostock]: Kilius, 1665

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777132664>

Druck Freier  Zugang



56.

PROGRAMMA

Qvo
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

HENRICUS Müller

Doctor ac Professor Theologus, ad div.
Mariæ Pastor
Ad
Justa funeralia
Qvæ
MATRONÆ HONESTISSIMÆ

ANNÆ Willebrandes,

Viri Amplissimi & Consultissimi
DN. THEODORI
von Gesede/
D. & in Dicasterio Meklenb. Fisci
Advocati olim dexterimi
VIDUÆ
Exsolventur hodie
Omnium Ordinum Cives Academicos
sedulò serioq; invitati
P.P. Sub Sigillo Rectoratus d. 30. Nov.
An. M DC LXV



Typis JOHANNIS KILLI, Acad. Typogr.

LB FP Willebrand, Anna 1665 6.

NÆgyptum cum universa sua familiæ abituriensi Jacobo apparet Jhova in Bersabe, & hac, inter multas alias, cum dignatur promissione : Joseph ponet manum suam super oculos tuos. Gen. XLVI, 4 Eleganter Arabs ; Joseph claudet oculos tuos. Non poterat vel interpres mentem Numinis exprimerè rectius, vel ipse Deus Jacobo, & annis & mœstrore tantum non confecto fortius suppeditare consolationis argumentum , qvam quod unicè dilectus filius, quem hucusq; tantoperè luxerat, supremum istud, quod omnes optant, officium ei esse præstiturus. Nimirum etiam inde usq; receptum fuit usu apud Hebræos, uti charissimi quiq; amicorum oculos clauderent post obitum. Constat id ex Mischna tit. Sabbat. c. 23. & perquam multa afferuntur eam in rem à Maimonide tit. Efel c. IV, § 5. Seldeno I. II de Syned. p. 358. Menochio I. VIII de Rep. Ebr. c. 4. qv. 11 & aliis. Ab Hebræis ad Græcos & Latinos hic ritus transiit. Apud Homerum marito Penelope oculos claudit, additq; Poeta; n^o 28 Ηέρας οἱ θεόταν, hic enim bonos mortuorum. In Latio habes formantem oculos parentem filio apud Virgilium Aeneid. IX, ubi queritur Euryali mater;

— — — — — Nee te tua funera mater
Produxi, pressive oculos
Uxorem marito apud Senecam in Troj.

Cum

*Cum conjux oculis imposuit manum
Supremusq; dies solibus obstitit
Fratrem fratri apud Ovidium. ;
Lumina cœrulea jam jamq; natantia morte
Lumina fraternalia jam subitura manus
Filium Patri apud Lucanum de Argo loquenter;
Invitatq; Patris claudenda ad lumina dextram.
Et Matri. Hinclata Livia moritur apud Ovidium, quod
hoc officium à filio sit habitura;
Saltem te incolumi moriar Nero: tu mea condas
Lumina, & excipias hanc animam ore pio
Quamvis lege quādam XII Tabb. videantur prohibiti si-
lii, ne id officiū præstent parentibus, quam tamen allego-
rīcē intelligendam putat Kirchmannus, & significari, ne
filii parentum mortem maturent. De ritu ipso condendi
lumina morientium legi præceteris merentur Turnebus
I. XIX., c. 16. Franc. Lusinus lib. III Parerg. c. 36 Crini-
tus I. **XVIII.** c. 12. Id verò nobis quam maxime notan-
dum, non Judæis tantum, Græcis & Romanis, sed etiam
Christianis morem hunc religiosissime servatum uti mo-
rientium oculos comprimerent signarentq; charissimiq;
quiq; Dionysius Alexandrinus antiquissimos ritus ex-
ponens, qui à primis nascentis ecclesiæ temporibus in
mortuis condendis usurpabantur, hæc habet apud Euse-
biūm lib. VII, c. 17. *Sanctorum corpora manibus erectis*
supinxerūt excipere, gremio suo reponere, ora oculosq; obtura-
re &c. Ambrosius in Orat. de morte Satyri fratris. *Hoc*
inquit,*

inquit, solum dolebam, quod non ipse adsideres lectulo, ac voti-
vum mihi cum sancta Sorore partitus officium morientis oculos
digitis tuis clauderes. Idem confirmat Hieronymus, cuius
haec sunt ad Princip. de morte Marcellæ verba; Sano, in-
tegro, vegetoq; corpusculo obdormivit in Domino, Et tē paup-
pertatula sua, immo per tē pauperes reliquit hæredes, claudens
oculos in manibus tuis, reddens Spiritum in tuis oculis. Si quid
sub hac oculorum occlusione latuerit mysterii, inquiras
apud auctores, non una illi te dimittent response. Miserrimum Et infelissimum mortis genus existimabant
oculis adhuc patentibus ex hac vita decadere, quod habitus ille
eorum sit, qui sunt huic seculo cogitationibus Et votis affixi,
inquit Sopranus in David. digr. II p. 463. Voluntalii con-
sultum per hunc ipsum ritum horrori adstantium, quia
supremū ab oculis morientium adspici ominosum pu-
tarunt veteres. Subtilius Ramirez Spicil. Sacr. Tract. I.
c: 44 Apud Romanos, inquit, nullibi anima signatiūs habita-
re credita, quam in oculis. Ipse Plinius lib. XI, c. 37. Profectò
in oculis animus inhabitat: in ardore, intenduntur, humectant,
connivent: hinc illæ misericordia lacrymæ: hos cum oscularum
animum ipsum videmur attingere. Anima ipsa quoq;, quam
divina particulam aure putabant, è cœlo provenisse existima-
batur. Unde Seneca Epist. XLI Quemadmodum radii solis
contingunt quidem terram, sed ibi sunt unde mittuntur: sic ani-
mus magnus Et sacer, in hoc demissus, ut propius divina nos-
camus, conversatur quidem nobiscum, sed haret origini sua.
Illinc pendet, illuc spectat Et nititur. Claudebant ergo mo-
ribundis

ribundis oculos ne sacra illa anima jamjam eruptura, bebes
quoda modo afflictæ in oculorum speculo ab hominibus,
in extremo illo conflictu cerneretur; neve oculi, qui meliorem
vitam spirarant, torpentes tunc fracti apparerent. Hæc
ille. Fortassis etiam morientium oculos premebant veteres,
imprimis Christiani, quasi indicaturi, mortem eo-
rum somni instar esse, eosq; in resurrectione mortuo-
rum evigilaturos. Nobis prolixius materiam hanc nunc
pertractare animus non est. Si tamen qvis querat, cur
receptum apud Veteres, ut id officii charissimi qviq;
præstarent, & parentibus filii reponimus, factum il-
lud, quia ne alii piissimo illo officio fungerentur nolue-
runt moribundi, fors quod ignotias periorum metuerunt
aut duriorem attractum; fortassis etiam, ut ægrè minus
discederent, nec suis se invidere viderentur in manibus
illorum deficientes, quos sibi superesse maximè semper
optarant: nec enim toti sibi mori videbantur, qui post
se relinquebant, in qvibus quodammodo victuri conse-
bantur. Non extrema certè hæc parentum felici-
tas, mori inter oscula & amplexus viscerum suorum.
Quod si non esset beneficium insigne, in summum cer-
te moris solatium DEUS ipse Jacobo non promisisset,
Qvam ergo infelix DEFUNCTA NOSTRA, cujus ocu-
lis nec filiorum qvisquam, nec quæquam filiarum ulti-
mas imposuit manus: non illi Spiritum ejus fugientem
ore legerunt suo, nec harum illa in amplexus brachia ce-
pit. Decessit, eheu! nec visis, nec valere jussis suis, sed

vel eò felicissima, quod interbrachia Servatoris sui Iesu Christi decessit. Ille oculos clausit, aperturus olim in die judicii. Nata est B. ANNA, cui nunc justa solvimus exsequalia, An. M D X G I X Patre Viro Amplissimo & Consultissimo, Dn. NICOLAO Villebrand/ Philos. & U. J. D. Professore hujus Universitatis & Practico celeberrimo, Matre, fœmina omnibus sexus sui ornamentis decoratissima CATHARINA Heinß. Avum paternum habuit Reverendæ dignationis Virum, Dn. PETRUM Villebrand/Pastorem apud Gorlovienses per plures annos fideliissimum. Aviam paternam SOPHIAM Schulten/ accuratissimi & post fata etiamnum celeberrimi Theologi ALBERTI GRAWERI amitam. Avus Maternus fuicit Vir Magnificus & Amplissimus Dn. FRIDERICUS Hein/ Ictus, Sereniss. Princ. Meklenb. Consiliarius, Academiæ hujus Professor, & tandem Consulatq; Syndicus apud nos præclarissimè meritus. Avia Materna ANNA Dobins/ ex nobili & pervetusta der. Dobinen familia progenita. Tantis BEATA nostra originem debet majoribus. Renata, postquam nata etat, mox per aquam & Spiritum, ita abs Parentibus informari cepit, uti ipsis veluti auspiciis initia virtuti, voluptates illicitas, quævis tenella illa ætas & sexus in primis sequior inescari quam maximè solet, non tantum non appeteret, sed nec cognosceret. Non illa ex earum consortio, quibus cutem medicaminibus inungere, aut rubore adulterare genas, aut oculos fuligine collinere in deliciis. NOSTRA id dabant

bat operam unice, ut à simplicitate candorem, ruborem
à verecundia mutuaretur omnem suum. Quùm ea jam es-
set ætate, uti muliebris patientiæ legem ferre quiret, No-
bil. & Consultissimo Viro Dn. THEODORO von Desede/
U. J. D. & in Dicasterio Meklenburgico Fisci Advocato
solertissimo in matrimonium elocata abs Parentibus An-
no M. DC. XXI. Qvod ne sterile esset aut infœcundum,
octies illa mater facta, in masculina quater, quater in fœ-
minina prole. Superstitant per DEI gratiam (requis plu-
rium adlectis consortio,) GERHARDUS, causarum
apud Lubecenses Patronus famigeratissimus; ADAMUS
HENRICUS, eidem apud U. cratislavienses addictus ope-
ræ; ANNA SOPHIA, Foemina ornatissima, Viro Reve-
rendo, Dn. DANIELI WERNERO Tilsensium in Bo-
russia Pastori vigilantissimo ante aliquot annos nuptum
data. Ex his tribus BEATA quinque partim nepotibus
partim neptibus locupletata est. Quarta, quæ accensenda
omnino, est CATHARINA elegantissima ac luculentis-
sima Virgo, tristius non ita pridem apud Sororem ex-
perta fatum. Functo Anno MDC XLI marito, vidui-
tatis subire onus, dispensante sic Deo, iussa est NOSTRA,
quod & fecit non invita, & sustinuit non impatiens, donec
ante annum serè ingravescens sene etutis incommoda
asperius quam ante sentiens, auxiliisq; destituta humanis
sub onere contremiscere, ipsoq; vel animi mœrore vel
langore corporis confici paulatim inciperet. Adhibita
quidem fuere generosa satis remedia, sed frustra. Ad DE-
UM ergò

UM ergo itum, qvi quum humanum cessat auxilium,
præstat suum. Vocatus in partem curæ confessiona-
cios, PI. Reverendus Vir, Dn. D. ENOCHUS SVANTE-
NIUS, Ecclesiæ Jacobæ Archidiaconus vigilantissimus,
Collega pl. dilectus, qvi & confortavit solamine ægro-
tam, & ultimo insuper, quod est Corpus ac sanguis Ser-
vatoris nostri Jesu Christi, munivit viatico. Qvo muni-
ta inter adstantium preces placido & beato obitu, quasi
somno consopita exspiravit, postquam caducam hancce
atq; miseram vitam dicam an mortem rectius nescio 66
annis perpesta esset. Tenet illa jam terram manibus,
profectaq; in portum coronat navem, discriminibus de-
functa omnibus atq; periculis, quæ nos exercent indies.
Vestrum est, CIVES, de hac fortuna ex animi ei gratu-
lari sententia, & qvæ viventes mortuis debetis prolixè, uti
par est omnino, exhibere atq; liberaliter. Monet id
Vos ipsa Pietas. Postulant BEATÆ Fratris Amplissi-
mi insignia undiquaque in Academiam merita, & nos, ut
officium faciatis, hortamur atq; obtestamur sedulo.

*Conventus fiet in templo Jacobo
post horam Imam.*

106(1)00
8

*Cum conjux oculis imposuit manus
Supremusq; dies solibus obstitit
Fratrem fratri apud Ovidium ;
Lumina cœrulea jam jamq; natant
Lumina fraternalia jam subitura m
Filium Patri apud Lucanum de Argo lo
Invitatq; Patris claudenda ad lumi
Et Matri. Hinclæta Livia moritur apud
hoc officium à filio sit habitura ;
Saltem te incolam moriar Nero : tu n
Lumina, ex cœpias hanc animam
Quamvis lege quādam XII Tabb. videan
III, ne id officiū præstent parentibus, qua
ricè intelligendam putat Kirchmannus, q
filii parentum mortem maturent. De ritu
lumina morientium legi præ cæteris mere
I. XIX. c. 15. Franc. Lusinus lib. III Pare
tus I. XVIII. c. 12. Id vero nobis quamn
dum, non Judæis tantum, Græcis & Rom
Christianis morem hunc religiosissime ser
xientium oculos conprimerent signarent
qvinq;. Dionysius Alexandrinus antiquiss
ponens, qui à primis nascentis ecclesiæ
mortuis condendis usurpabantur, hæc hal
bium lib. VII, c. 17. Sanctorum corpora a
supinatq; excipere, gremio suo reponere, ora
re &c. Ambrosius in Orat. de morte San*

X 2




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.